

id est *projei*: Quoniam in vita projei intima ejus, quasi sint verba Dei, qui dicat se intima avari projecisse. Complutenses et alii passim legunt ἐπὶ τῆς, id est *projeerunt*: Quoniam in vita sua projecerunt intima, vel intestina sua, vel ejus, scilicet avari: αὐτοῦ enim est pronomen, tam reciprocum, quam absolutum, tamque sua quam ejus significat. Quod primo accipi potest, q. d. Avari projecerunt sua viscera humanitatis, uti jam exposui, ut sit enalage numeri frequens Hebræis, qua de avaro nunc in singulari, nunc in plurali loquatur: sicque idem est sensus Græci, qui Latine Vulgatæ.

Secundo, alii exponunt, q. d. Usurarii et avari omnibus odio sunt, adeo ut homines cupiant illorum viventium intestina dissipari, uti nonnullos exactores grandium tributorum et onerum a plebe membratim dissectos et concisos audivimus et vidimus. Ita poetæ inducunt Jovem dicentem, quod Juno tum demum saturatura sit odium suum in Trojanos, si Priamum vivum devoret.

Tertio, Tigurina sic legit et vertit: *Hic enim animam quoque cujusvis exigit; nam pro vita ipsius eruere viscera sua quisque cogitur, q. d. Avarus animam, id est vitam, pauperum exigit; quia pro vita ipsius, ut, scilicet, ipse diviter, laute et splendide vivat, coguntur pauperes eruere viscera sua per labores, ut scilicet usuras ingentes, quas injuste exigit avarus ipsi persolvant.*

Quarto, Vatablus sic, q. d. Hic enim etiam animam suam venalem habet, quia in vita sua viscera quoque sua ejicere paratus est, scilicet lucri causa. Noctes enim et dies laborat avarus, ut pecunias congerat, ideoque currit ad Garamantes et Indos, fatigatur, sudat, adeoque se et viscera sua consumit.

11. OMNIS POTENTATUS (in gemtivo casu, q. d. Omnis imperii et regni est) BREVIS VITA, — q. d. Omnis potestas brevem habet durationem et vitam. Aliqui legunt *via*; vita enim est via ad mortem, et per eam ad immortalitatem. Hæc verba jam desunt in Græco. *Potentatus* primo, est principatus quilibet; secundo, est tyrannis: *potentatus* enim significat regimen imperiosum et violentum, quia tyranni potenter, imo impotenter, superbe et avare dominantur subditis. Porro *potentatus* sive potestates vocantur hic potestate et potentatu pro diti, puta principes et tyranni: ponitur enim abstractum pro concreto, potentatus pro potente, q. d. Omnis potentis vita est brevis. Siracides enim toto hoc loco perstringit superbiam et avaritiam tyrannorum. Unde Tigurina: *Omnis tyrannus brevem vitam sortitur. Causam subdit: Quia morbus pertinax medico gravis est. Tenacem morbum præcidit medicus; ita rex hodie vivus, cras moritur.* Græca enim sic breviter de more habent: *μικρὸν ἀφρόσημα κίπτει* (Romana legunt *κίπτει*, id est *evallatur*) *ἰατρός, καὶ βασιλεὺς ἀμείρον καὶ αἰφρόν τελευτῆσαι*, id est, *longum vel tenacem morbum incidit vel secat medicus: sic et rex hodie, et cras morietur.* Noster vero plenus

et germanicus habuit Græcum exemplar, ex quo sic transtulit: *Languor prolixior grava medicum.*

12. BREVEM (pro *μικρὸν* enim videtur legisse *μικρὸν*) LANGUOREM PRÆCIDIT MEDICUS. — SIC ET REX HODIE EST, ET CRAS MORIETUR. — APABICUS, *hodie jam mortuus est, et cras jam moriturus est*; hoc est, hodie vel cras certo morietur. Terra sors illius est. Comparat enim tyrannidem morbo diuturno, qui gravat rempublicam, ac Deum medico, qui ut rempublicam eo liberet, illico eum pharmacis profligat, quin et igni adurit, et ferro succidit, q. d. ait Lyranus et Jansenius: Sicut medicus brevem, id est modicum, recentem et inchoantem morbum, illico adhibitis pharmacis et catapotis, quin et igni ferroque, si opus sit, præcidit, ne, si inveterascat, ægrum diu affligat et fiat pertinax, ac in totum corpus pervadat, ut fiat lethalis, et sanari non possit: sic et Deus regem tyrannice imperantem, cito tollit, ne confirmet tyrannidem, eaque Deum et rempublicam gravet; quin et eam suo scelere velut cancro serpente inficiat vel opprimat. Vide nostrum P. Menochium hunc locum graviter et eleganter pertractantem lib. II *Hieropolit.* cap. VIII, num. 1.

Paulo aliter hæc applicat et explicat Palacius, q. d. « Si medicus invenit languorem chronicum, non periculosum, solet eum sustinere, et per dies multos curare: at, si languor brevis est, qui cito videtur infirmum absumpturus, quique inducias non patitur, tunc medicus omnem adhibet diligentiam, quo eum præcidat et auferat. Ita facit Deus; si rex non est iniquus, sed aut negligens, aut alio minore vitio languens, eum sustinet, non subtrahit e medio; at, si rex iniquitate sua reipublicæ pestis est, hunc præcidit, nec diu eum vivere patitur. Caveat igitur rex a potentatu tyrannico. Alias, hodie est, cras morietur. »

Tertio, Rabanus: « Languor prolixior, » etc. « Hanc comparisonem, inquit, ideo facit, ut ostendat quod avaritiæ pestis, si diu mentem possederit, difficile curabitur. Si autem statim in prima fronte a spiritus ratione illi resistitur, et per Dei timorem, ac poenarum metum ei ingressus ex cogitatione noxia occluditur, facilius ejus virtus exstinguitur. Sed et hoc multum adjuvat ad resistendum avaritiæ, si brevisitas transeuntis vitæ, et futura defectio in carne, ac gehennæ horror, in anima commemoratur. Ideo subjungit: Sic et rex hodie est, et cras morietur; cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes. »

Hæc ergo prima et potissima est causa cur tyranni cito succidantur. Eandem dat Salomon *Proverb.* xxviii, 16: « Dux indigens prudentia multos opprimet per calumniam; qui autem odit avaritiam, longi fient dies ejus. » Quo tacite monet principes, ut erga subditos sint benevoli et liberales, si velint esse longævi. Altera est, quia res humanæ, præsertim quæ excelsæ sunt, subjacent continuæ variationi et agitationi. Sicut enim cul-

mina arborum maxime agitantur ventis: sic et culmina honorum turbinibus invidiæ, seditionis et bellorum jactantur, juxta illud: « Perflant altissima venti, feriuntque summos fulmina montes. » Gentiles id significarunt per fortunam, quæ gaudet res celsas novare et variare. Tertia est, quod regimen civitatis, multo magis provinciæ, regni vel totius imperii, tot afferat labores, curas, molestias, sollicitudines, angores, tristitias et melancholias, ut iis rex sollicitus brevi exedatur et consumatur. Sane Carolus V, cum Bruxellæ in consessu Ordinum ditiones et regna transferret in filium Philippum II, illacrymans dixit: « Compatior tibi, fili mi, quia ingens onus humeris tuis impono. Ego enim omnibus hisce anis, quibus illud sustinui, nunquam vel quadrantem unicum quietis et lætitiæ, quæ multis curis et fastidiis permixta et falsa non esset, obtinere potui. » Quarta oritur ex ambitione multorum, qui ad regnum, vel alias dignitates, quas si alius princeps creetur obtenturos se sperant, aspirant; maxime vero oritur ex offensa multorum, qui insolentia tyranni oppressi, ejus jugum omnibus viribus excutere satagunt. Quocirca S. Cæcilia Almachio præfecto objicienti suam Cæsarisque potentiam sapienter et intrepide respondit: « Potestas hominis sic est, quasi uter vento repletus, quem si una acus pupugerit, omnis rigor cervicis ejus follescit; » alii legunt, *molliescit*. Et S. Valerianus ejus sponsus ad eundem: « Quid vos estis? aut quid principes vestri? Homunciones estis vestro tempore nati, tempore vestro expleto morituri; tantam Deo reddituri rationem, quantum summæ vobis tribuit potestatis. »

Hæc causas dant politici, tam Christiani, quam Philosophi. Seneca orator in *Proverbiis*: « Errat, inquit, si quis existimat tutum diu esse regem. Nihil magnum in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. » Seneca tragædus in *Thyeste* post actum III:

Ima permutat brevis hora summis.  
Ille qui donat diadema fronti,  
Quem genu nixæ tremuere gentes, etc.  
Quem dies vidit veniens superbum,  
Hunc dies vidit fugiens jacentem,  
Res Deus nostras celeri citatas  
Turbine versat.

Idem in *Agamemno*:

Quidquid in altum fortuna tulit,  
Ruitura levat: modicis rebus  
Longius ævum est.

Idem in *Medea*:

Rapida fortuna ac levis,  
Præcepsque regno eripuit, exilio dedit.

Ovidius in *Tristibus*:

Nempe dat, et quodcumque libet fortuna rapitque:  
Irus et est subito qui modo Cræsus erat.

Idem lib. v:

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,  
Et tantum constans in levitate sua est.

Silius lib. IV:

Pelle moras, brevis est magni fortuna favoris.

Saturninus apud Vopiscum: « Nescius, inquit, amici, quid mali sit imperare. Gladii et tela nostris cervicibus impendent, imminent hastæ undique, undique spicula; ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur. Non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio. »

Auræ sunt gnomæ Publii in *Mimis*.

Fortuna cum blanditur, captatum advenit.  
Fortunam citius reperias, quam retineas.  
Fortuna nimium quem fovet, stultum facit.  
Fortuna vitrea est, quæ, cum splendet, frangitur.  
Levis est fortuna, cito reposcit quæ dedit.

Ergo sequamur sapiens consilium Senecæ in *Thyeste*:

Nemo confidat nimium secundis,  
Nemo desperet meliora lapsus.

Expertus hæc Severinus Boetius consul Romanus et princeps senatus, qui a Theodorico rege Gothorum in carcerem conjectus, ac tandem necatus, martyrium obiit; unde ipse in *Consol. Philosoph.* ita canit:

Quid me felicem toties jactastis, amici?  
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

Cicero, orat. in *Vatinium*, qui paucis diebus fuerat consul, eum irridens: « Magnum, inquit, prodigium, Quirites: Vatinio consule non sensimus ver, non æstatem, non autumnum. « Idem in alium, qui paucis horis fuerat consul Romanus: « O sanctissime consul, inquit sub quo nemo pransus est, nemo cœnavit, nemo dormivit. » De Marcello puero canit Virgilius VI *Æneid.*:

Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra  
Esse sinent.

Idem attributum nuper Marcello II Pontifici miræ expectationis, qui vigesimo secundo pontificatus die rebus humanis exemptus est.

Vis exempla illustria Christianorum? accipe tragica. Casimirus II, Poloniæ rex, instructo grandi convivio, proceribus exhilaratis regisque res gestas et felicitatem celebrantibus, ipse nonnulla de immortalitate animi et cœlitum beatitudine prolocutus, hausto medioeri poculo subito concidit, et paucis horis animam exhalavit, teste Mattiæo Cromero lib. VI *Histor.*

Ladislaus, Hungariæ et Bohemiæ rex, regiæ pompæ nuptias cum Magdalena Caroli Galliæ regis filia adornans, auratas quadrigas c. dynastas ac nobiles septingentos, purpura, auro gemmisque onustos, qui sponsam adducerent, Parisios

missi: ecce autem eo die, quo Parisios legatio illa ingressa est, antequam consideret, de repentino Lasdislai Pragæ mortui interitu a tabellario admonetur. Ita nuptiæ in nenas versæ, uti narrat Antonius Bonfinius lib. VIII *Rerum Hungar.*, decad. 3.

Quare olim, dum coronaretur Imperator, sepulcrorum constructores quatuor ad eum deferebant marmoris frusta varii coloris, inquirentes ex quo vellet sibi construi sepulcrum, itaque eum suæ mortalitatis admonebant, et ut prudenter imperaret. Testis est Leontius in *Vita S. Joannis Eleemosynarii*.

S. Bernardus ad Eugenium suum, jam Pontificem creatum, anno Domini 1143, scribens epist. 237: « In omnibus, ait, operibus memento te esse hominem, et timor ejus qui aufert spiritum principum, semper sit ante oculos tuos. Quantum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti (nemo Pontificum a S. Petro hucusque annos S. Petri, id est 25, attingit: multi eodem anno, imo mense quo creati, extincti sunt)? Ipsi te prædecessores tui, tuæ certissimæ et citissimæ decessionis admoneant, et modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi. Jugi proinde meditatione inter hujus presentis gloriæ blandimenta memorare novissima tua, quia quibus successisti in sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem. » Certe Stephanus II, Pontifex, sedit duntaxat dies 4; Cælestinus IV, dies 17; Bonifacius VI, dies 13; Sisinnius, dies 20; Damasus II, dies 23; Pius III, dies 26; Marcellus II, dies 21; Urbanus VII, dies 7; Leo XI, dies 27; qui moriens: « Quam melius, inquit, mihi foret, si monasterii, quam si cœli claves tenuissem. »

Maximilianus, primus hoc nomine Imperator, testamento cavet ut exanimus corpus suum rudi linteo involutum, sine ulla exenteratione sarcophago, quem quadriennio ante mortem parari curarat, imponeret, naribus, ore auribusque viva calce oppletis, ut exedente ea calce citius consumerentur, et irent in terram suam. Cur? ut monumentum illud assidue in oculis haberet, quod diceret: « Cogita mori, et brevi mori. Quid te dilatas et extendis? Quid multa possides, plura appetis? Quem tot provinciæ et regna non capiunt, locus iste capiet. »

Carolus V, Maximiliani ex Philippo nepos, brevis ævi memor, ut ad mortem instantem se compararet, relictis tot regnis et imperio universo, recessit in monasterium S. Justii, ut Deo totus vacaret, nec se Cæsarem, sed Carolum vocari voluit. Imo hoc amplius ferunt, diu ante imperium abdicatum, sarcophagum sibi construi jussisse, cum funebri supellectile deportandum, clanculum tamen, quorumque iret, quem paratum habuit apud se quinque annis ubicumque locorum esset, etiam dum Mediolanum contra Gallos proficisceretur, ut jugi ejus intuitu citæ mortis admone-

retur. Hæc referunt Petrus Gregorius, lib. VI *De Republ.* cap. III; Justus Lipsius, lib. II *Monitor. et Exempl.* cap. XIV; Laurentius Surius et alii.

Quocirca Joannes Aragenus rex, cum anno Domini 1479, febris correptus, in deliquium incidisset, mox ad se reversus, astantes intuens exclamavit: « O vanas hominum cogitationes! O miseros homines, qui ad principatus aspirant; qui divitias, opes et nimios honores affectant! O felicem pauperum conditionem, et securam illorum vitam atque beatam, qui panem comedunt cum sudore sui vultus, qui vivunt labore manuum suarum! Nam mihi misero quid regnum, quid honores, quid obsequia plurimorum contulerunt? Quid? labores, scilicet magnos, et multa corporis et animæ pericula subivi, nec unquam ætate tam longa potui mihi dies aliquot videre bonos. O me miserum et infelicem, qui tam sero fallacem mundum cognoseo! qui vitam certe vixissem multo meliorem, si non rex, sed agriculor fuissem. » Conversus autem ad imaginem Christi crucifixi, defixis in cœlum oculis: « O pietissime redemptor, inquit, parce mihi indignissimo servo tuo; miserere mei, clementissime Jesu. » Atque inter has voces et singultus animam Deo reddidit. Ita Lucius Marinæus lib. VIII *Rerum Hispaniæ*.

Hæc de regibus: de tyrannis similia, imo magis tragica, referam cap. sequenti, vers. 6. Quocirca sensate Justiniano Imperatori hanc rerum humanarum vicissitudinem objicit Agapetus Diaconus in *Admonit.*, num. 11: « Circulus, ait, quidam humanarum revolvitur rerum, qui modo sic, modo aliter agitat ipsas et circumfert; atque in his inæqualitas est, eo quod nihil ex presentibus in eodem statu maneat. Oportet igitur te, potentissime Imperator, in hac rerum versatili mutatione, immutabilem habere pietatis cognitionem. » Et num. 67: « Dignitatum splendor mors haud reformidat; omnibus enim voraces suos dentes infligit. Ergo ante illius ineluctabilem adventum, opum copiam transportemus in cœlum. Nemo enim, quæ colligit in mundo, illuc profectus abducit; sed omnibus in terra derelictis, nudus de vita sua reddit rationem. » Et num. 70: « Navis per mare commentis imitatur transitum compendiosa presentis vitæ conditio, quæ sane nos nautas fallens suos, et pedetentim cunctanti raptans cursu, tandem ad suum cujusque exitum perducit. Si igitur hæc ita se habent, prætercuramus præcurrentia mundi negotia. Idcircoque his quæ ad sæcula sæculorum permanent. »

Basiliius Imperator, *Exhortat. ad Leonem filium*, cap. XXXVIII: « Existima, ait, fili, vitam istam nihil fixum, nihilque stabile aut perpetuum habere; nam subinde res aliter atque aliter variantur; et rotæ in morem quæ circumvolvitur, ea quæ sursum sunt, deorsum feruntur; et quæ deorsum jacent, sursum evehantur. Quapropter neque secundis rebus extollere, neque adversis dejicere, sed utraque in fortuna constans esto et invaria-

bilis, unum hoc tibi proponens semper, benefacere; cætera Deo committe: neque cum secunda fortuna uteris, metu adversæ a superba elatione retrahere: neque etiam cum adversa, spe melioris a præcipiti dejectione relevare. Hoc enim exiui animi est, et non regia virtute subaxi: et quod futurum est videri nequit. Neque ergo tristi ac abjecto, neque residentem et procaci unquam vultu in publicum prodi: ita enim gravis et prudens existimaberis, et quæ utrimque imminet errata vitæ, neque curiose maledicis ullam ansam præbebis obloquendi de iis quæ tibi accidere videntur. »

13. CUM ENIM MORIETUR HOMO, HÆREDI ABIBIT SERPENTES, ET BESTIAS, ET VERMES. — Janseius censet esse novam rationem, cur sit cavendum a superbia, scilicet, quod superbus non tantum sit moriturus, sed et vertendus in serpentes et vermes. Hinc Græci multi hæc jungunt cum *quid superbit terra et cinis?* Unde Tigurina sic legit et vertit, *quid tandem superbit terra et pulvis? Nam mortuum hominem serpentes, bestiae et vermes excipient; sic et Syrus, quid superbit, inquit, pulvis et cinis, in cujus vita vermes serpunt, latera ejus et intestina ejus medicus scindit? Hodie ambulat, et cras moritur. In morte hominis tinea pars ejus, et vermis ejus coram eo serpit, q. d. Quid superbit homo, qui est pulvis et cinis, quique tam in vita, quam in morte comeditur a vermibus. Potest tamen quoque recte cum proxime præcedentibus in Latina Vulgata aptari, quasi explicet *omnis potentatus vita brevis. Et: Rex hodie est, et cras morietur. Ne quis enim dicat potentem et regem, licet moriatur in hac vita, post illam tamen habiturum aliam, in qua æque sit princeps et rex, uti Gentiles autumabant; respondet nil tale fore, sed potius regem, uti et cæteros homines, hærediturum serpentes, bestias et vermes. Ita Lyranus. Cum enim homo sepelitur, illico ex ejus carne, adipe et phlegmate nascuntur serpentes et bestiae, id est, dracones et bufones, ac vermes, puta lumbrici, scarabæi alique horridi vermes, qui omnes ejus carnes usque ad ossa depascuntur, ac eum depasti deficiente pabulo emoriuntur, et in pulverem vertuntur; itaque homo tandem redit in cinerem et pulverem, ex quo formatus est, juxta sententiam Dei in eum latam, *Genes. III, 19: « Pulvis es, et in pulverem reverteris. »***

Sensus ergo est, q. d. Quid superbit homo, licet potens, princeps et tyrannus, cum omnis ejus gloria, opes et luxus vertenda sint in horridos serpentes et vermes? Hoc est quod ait Job cap. XVII, 14: « Putredini dixi: Pater meus es; Mater mea, et soror mea, vermis. » Et Isaias de Balsasare monarcha Babylonis, cap. XIV, 11: « Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum; subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. » Rursum non tantum in sepulchro, sed et in inferno tyranni cæterique impii hæreditabunt serpentes et vermes: quia torquebun-

tur, non tantum igne, sed et vermibus realibus, uti ostendi *Isaiæ LXVI, 24*; ac tradentur bestiis, id est dæmonibus, qui eos tanquam leones et tigrides excruciant. Unde orat Ecclesia pro defunctis: « Ne tradas bestiis animas confitentium tibi. » Hinc et dæmones horribiles, centaurorum et monstrorum formas assumunt, ut damnatos magis torqueant. Quocirca in Scriptura vocantur onocentauri, pilosi, lamiae, uti dixi *Isaiæ XXXIV, vers. 14*.

Mystice Lyranus: Homo superbus et avarus inquit, tria habet bona, scilicet animam, corpus et substantiam, sive opes. Hæc moriens relinquet tribus hæredibus, nimirum animam serpentibus, id est dæmonibus; corpus vermibus; substantiam bestiis, id est amicis, qui instar bestiarum animaliter et carnaliter vivunt. « Humilia ergo valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii ignis et vermis, » uti dixit cap. VII, vers. 19. « Justum enim est ut superbus, qui concupivit esse summus, fiat imus; » ut qui voluit præesse cæteris, subsit igni: ut qui ambivit cum Lucifero esse æqualis Deo, sit socius et cibus vermium vilissimorum et putridorum.

S. Ephrem, tract. *De iis qui in Christo dormierunt*: « Quid, inquit, est homo? nihil. Quid homo? vermis. Quid homo? cinis ac pulvis. Quid homo? somnium. Quid homo? umbra. Ecce transivit, ecce cessavit. Finem accepit magnus ille et invictus leo, tyrannus fortis, potens atque elatus, qui cunctis formidabilis erat; nunc jacet quavis ove mitior: qui magnus videbatur super multos, factus est tanquam nullus: qui alios tenebat, detentus est: qui ligabat, vinculis constrictus est. » S. Basiliius, orat. *De Morte*: « Mortalem, ait, te recordare. Terra quippe es, et in terram rursus dissolveris. Circumspice illos, qui ante te similibus se splendoribus efferebant. Ubi nam sunt illi, qui civilibus dignitatibus ornati erant? ubi duces? ubi oratores? ubi principes? ubi potestates? ubi tyranni? Nonne omnia pulvis? nonne fabula? nonne in paucis ossibus memoria vitæ ipsorum conservatur? »

14. INITIUM SUPERBIE HOMINIS, APOSTATARE A DEO (Græce, ex versione Romana, *initium superbiæ hominis, cum apostatavit a Deo*), QUONIAM AB EO, QUI FECIT EUM, RECESSIT COR EJUS. — Tigurina, *initium superbiæ est defectio hominis a Domino, et a Creatore suo abductus animus*; Syrus, *fons peccati superbiæ, et prævaricatio* (id est, defectio a Deo, apostasia, transgressio legis divinæ) *fons utriusque illorum*; S. Cæsarius, homil. 19 *De Cura animæ*, legit, *initium apostatari a Deo omnis superbiæ*; S. Chrysostomus, homil. 15 *in Joan. et in Psal. cxv, vers. 1*, legit, *initium superbiæ est nescire Deum; descivit enim a factore cor ejus*. « Superbi, inquit, Deum non cognoscunt; neque seipsos, quid sint, sciunt. Quo pacto enim, qui non antea cognovit opificem, agnoscit seipsum esse figmentum? quia enim nescitur Dominus, nascitur su-

perbia. Id quod attestatur Scriptura dicens : Initium superbiæ est neire Deum. »

Est nova ratio docens quam turpis, enormis, ideoque fugienda est superbia, petita ab ejus origine, quæ turpissima et execranda est. Origo enim superbiæ est apostasia a Deo : Adam enim ideo superbivit, et superbia peccavit, quia apostatavit et descivit a Deo, a quo creatus erat, conservabatur, gubernabatur, et alebatur cum tanta suavitate, honore et rerum omnium copia : descivit enim a Dei voluntate et lege, præferens ei pomum vetitum, et promissa falsa serpentis. Idem facit quisvis alius superbus, imitans patrem suum superbum Adam. Porro : « Apostasia nulla major est, ait Rabanus, quam aversio creaturæ a Creatore suo; et hæc merito adscribitur superbiæ, quoniam superbia est, quod mediocre bonum assimilare vel adæquare se vult summo bono. Hoc fuit initium diaboli casus, hoc et humanæ prævaricationis exordium. »

Secundo, S. Thomas, II, Quæst. LXXXIV, art. 2, ad 1, et ibidem Gregorius de Valentia, et alii hanc sententiam explicant, non de solo Adamo, sed de quolibet homine : hic enim, dum superbit, apostatat, id est, deficit a Deo. Apostasia ergo hoc modo accipitur pro conditione quadam communi omnium peccatorum. In omni enim peccato sicut est generalis quædam inobedientia, ingratitude, odium et contemptus Dei : sic est et quædam generalis apostasia, id est, defectio a Deo, ejusque lege et voluntate. Vel sensus est, q. d. Prima species superbiæ est peccatum apostasiæ a Deo. Ideo enim quis non vult subijci Deo (quod est a Deo apostatare), quia perverse expetit singularem quamdam excellentiam, quod est peccatum superbiæ. Græcum enim ἀρχὴ tam principatum, quam principium significat; unde sic veritas, principatum superbiæ tenet apostasia a Deo, id est, primas in regno superbiæ occupat apostasia a Deo. Sic noster Interpres principium usurpat pro principatu, Psalm. cix : « Tecum principium, » id est principatus, « in die virtutis tuæ. » Et Proverb. viii, 22 : « Dominus possedit, » vel « creavit me in initio; » hebr. rescit; græce ἀρχὴ, id est principium, vel principatum, « viarum suarum, » q. d. In viis, id est operibus, Dei ego sapientia primas teneo, et principatum occupo. Sic cap. i, 16, dicitur : « Initium sapientiæ timor Domini; » græce ἀρχὴ, q. d. Sapientiæ primas et principatum tenet timor Domini. Vide ibi dicta.

Præclare Cæsarius Arelatensis homil. 23 : « Quisquis superbus est, inquit, dæmone plenus est. » Audi Scripturam : « Immundus est ante Dominum omnis qui se exaltat. » Et iterum : « Apostatare a Deo omnis superbia. Quid est apostatare, nisi a Deo discedere? et utique qui a Deo disjungitur, diabolo sociatur. » Idem, homil. 48 : « Non discernuntur filii Dei, et filii diaboli, nisi humilitate atque superbia. Quemcumque superbum videris, diaboli esse filium non dubites : quemcumque humilem

conspexeris, Dei esse filium confidenter credere debes. Et, ut hoc verum esse cognoscas, audi Scripturam : Initium, apostatare a Deo, omnis superbiæ. Et : Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. Nam quod diabolus per superbiam dejecit, Christus per humilitatem erexit : quia ad vulnus superbiæ, medicamentum humilitatis exhibuit. »

15. QUONIAM INITIUM OMNIS PECCATI EST SUPERBIA. — Sic et habent Græca Complutensia. Sed Romana invertunt, sicque legunt, quoniam principium superbiæ, peccatum. Græca omnia delent et omnis.

Quære primo, quomodo hic versus necitur præcedet, et cujus rei causam dat et quoniam? Responde et quoniam more Hebræo referri potest remotius ad vers. 7, ut sit hæc nova, eaque septima ratio cur odibilis sit superbia, uti dixi in synopsi. Rursum et quoniam referri potest ad vers. 13 proxime præcedentem, idque primo, hoc sensu, q. d. Causa, cur superbus apostatet a Deo, est ipsa superbia : hæc enim est causa omnis peccati, in quo sicut est generalis et implicita quædam superbia, sic et est generalis quædam apostasia a Deo; peccatum enim est aversio a Creatore, et conversio ad creaturam : peccator enim præponit voluntatem suam voluntati Dei, et amorem creaturæ amoris Creatoris. Ita Jansenius. Secundo, q. d. Superbia est initium omnis peccati, ergo et apostasiæ, adeoque dum quis incipit superbire et peccare, incipit apostatare et recedere a Deo. Tertio, nervosius ac pressius, q. d. Apostasia est ἀρχὴ, id est principatus, et præcipua species superbiæ, quia superbia est ἀρχὴ, id est principatus peccati, seu præcipuum peccatum est apostasia. Ergo apostasia est superbia, et principatus superbiæ, sive prima et maxima superbia, ideoque primum et maximum peccatum. Quarto, Hebr. כִּי, id est quoniam, sæpe non causam, sed effectum significat, imo sæpe encliticum est significans : Sane, equidem, certe, verum enim vero, q. d. Equidem, vel certe initium omnis peccati est superbia. Aut, q. d. Initium superbiæ hominis fuit, quod a Deo recesserit et apostatarit : unde evenit et secutum est, ut superbia facta sit initium omnis peccati. Nam ex apostasia a Deo sequuntur omnia peccata, tum quia recedens a Deo, recedit a lege et virtute, abique in vitia; tum quia Deus deserentem se pariter deserit, privatque sua gratia : quo fit ut in quælibet peccata ruat. Sic Adamo ob apostasiam ademit iustitiam originalem, qua, velut freno sublato, illico innata homini concupiscentia et superbia prosiliit. Quæ eum et posteros in omnia peccata impulit. Initium enim hic non metaphysice (quomodo punctum dicitur initium lineæ, et unitas numeri), sed physice accipiendum est, ut sit idem quod origo, radix, causa : quomodo calor est initium calefactionis, aer rarefactionis, aqua refrigerationis, etc., superbia enim est initium, id est, origo, mater et causa omnis peccati.

Queres secundo, quomodo superbia sit initium causa omnis peccati, cum multa peccata oriuntur ex timore, acedia, pusillanimitate, quæ contraria sunt superbiæ? Primo, S. Prosper lib. III De Vita contemp. l. cap. III et IV : « Nullum, ait, peccatum fieri potest, potuit, aut poterit sine superbiâ; siquidem nil aliud est omne peccatum, nisi contemptus Dei. » Loquitur de superbia generica, quæ est conditio inclusa in omni peccato. Sic et S. Bonaventura in II, dist. XLII, dub. 4, et Jansenius hic hunc locum explicant de superbia secundum rationem communem, quatenus ea invenitur in omni peccato : in omni enim peccato invenitur aversio a Deo, quæ est superbia. Verum alii passim hunc locum accipiunt de superbia, ut est vitium particulare oppositum humilitati. Ita S. Augustinus lib. XI De Genesi, cap. xv, S. Thomas I II, Quæst. LXXXIV, art. 2, Cajetanus ibid., et alii. De ea ergo primo sic legit et exponit Durandus in I, dist. XLII, Quæst. IV, num. 7 et 10 : Non dicitur, inquit, superbia initium omnis peccati, quia peccata carnalia, timiditatis et pusillanimitatis, non oriuntur ex superbia; sed initium peccati dicitur omnis superbia : omnis enim superbia est initium alterius peccati; vel certe, inquit, superbia hic non est vitium particulare, sed amor sui immoderatus, quem S. Augustinus vocat amorem infantem.

Secundo, Gabriel Vasquez II II, Quæst. LXXXIV, disp. 136, cap. II, exponit, q. d. Peccatum Adæ, quod fuit superbia, fuit initium omnis peccati; omnia enim peccata hominum ex illo prognata sunt, et, ut ait Tobias cap. IV : « In ipsa initium sumpsit omnis perditio. » Primum Adæ et Evæ peccatum fuisse superbiæ, non infidelitatem, ut volunt hæretici, ostendi Genes. III. Vide S. Thomam Opusc. III, cap. cxc, et Bellarminum lib. III De Gratia, cap. v. Eva enim et Adam audientes a serpente : « Eritis sicut dii, » appetierunt esse æquales Deo; quæ ingens fuit superbia, ideoque inobedientes Deo comederunt pomum vetitum, ac per hanc inobedientiam proprie transfuderunt in posteros peccatum originale, non per superbiæ, uti docet Paulus Rom. et XIX.

Tertio, alii accipiunt de peccato Luciferi et angelorum : hoc enim fuit primum mundi peccatum, ideoque initium cæterorum, quæ Adam et homines postea commiserunt. Primum enim Luciferi peccatum fuisse superbiæ docent Patres et Scholastici. Ita S. Augustinus lib. XII De Civit. cap. VI, et lib. De Natura et Gratia, cap. XXIX, ac ex eo S. Fulgentius lib. I ad Monimum, cap. VII : « Si initium, ait, peccati requiritur, nihil aliud nisi superbia invenitur. Dicit enim Scriptura : Initium omnis peccati superbia; quæ tunc initium sumpsit, cum angelus adversus Deum elatus est. » S. Ambrosius lib. IV, epist. 33, alias 84, ad Demetriad. : « Sive in lapsu diaboli, inquit, sive in prævaricatione hominis, initium peccati superbia

est. » Sic et Franciscus Suarez, tract. De Angelis, lib. VII, cap. IX, num. 7 et 8 : « Initium, inquit, omnis peccati superbia est : vel quia in humano genere primum Adæ peccatum fuit superbia, ut tradit S. Augustinus lib. XIV De Civit. cap. XIII; vel quia primus angelus malus a superbia initium peccandi sumpsit, et ipse fuit omnium aliorum peccatorum causa vel occasio. » Ipse enim per serpentem induxit Adamum ad peccatum, ex quo omnia deinde Adæ et posterorum peccata prognata sunt. Sic et Gregorius de Valentia, tract. De Angelis, Quæst. XIII, punct. 3, sub initium : « Initium, inquit, omnis peccati est superbia, quia primum peccatum angelorum fuit superbia. »

Quarto, Vasquez loco jam citato : Superbia, inquit, est initium omnis peccati, id est, plerorumque peccatorum; non enim absolute omnia, sed multa et pleraque oriuntur ex superbia, æque ac ex cupiditate, ut ait Paulus I Timoth. VI; imo in nonnullis hominibus omnia oriuntur ex superbia : toti enim ea pleni sunt, nec aliud cogitant, dicunt aut agunt, quam ut appareant magni, et aliis antecellant.

Quinto, initium omnis peccati est superbia, non actu, sed aptitudine et proclivitate, quia omne peccatum actu non procedit a superbia, sed ab ea procedere potest, et natum est. Ita D. Thomas I, Quæst. LXXXIV, art. 4, ad 5, Joannes Salazar et Gregorius de Valentia, qui et hanc rationem a priori ex S. Thomâ addit : Superbiæ peccatum, inquit, consistit in perverso appetitu excellentiæ et perfectionis alicujus; omne autem peccatum, quod circa bona temporalia committitur, tendit in aliquam perversam excellentiam, seu commoditatem et perfectionem hominis : ergo omne peccatum ordinatur per se in finem et scopum proprium superbiæ : ergo omne peccatum ex natura rei oriri potest ex superbia; et eatenus dicitur superbia esse initium et causa omnis peccati. Quocirca Syrus ample et nervose vertit : « Initium delictorum hominum superbia eorum, et opera eorum insanire faciunt cor eorum, quia fons peccati superbia, et prævaricatio fons utriusque illorum, puta, tam peccati, quam superbiæ.

Denique brevis, plana plenaque est expositio : « Initium omnis peccati est superbia, » tum quia primum hominis, æque ac angeli, peccatum fuit superbia, ex qua cætera prognata sunt; tum quia ex ea omnia peccata oriri nata sunt; omnia, id est, omnis generis peccata : non enim omnia in individuo oriuntur ex superbia. Est distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum, uti loquuntur Logici. Eodem sensu ait Apostolus I Timoth. VI : « Radix omnium malorum est cupiditas, » Græce φιλαργυρία, id est avaritia; quia, scilicet, nimius amor pecuniæ in omnia scelera omnesque miseras avarum impellit. Vide ibi dicta. Constat enim diabolum non peccasse avaritia, vel amore pecuniæ; sed superbia,

et amore excellentiæ. Ita D. Thomas et Valentia locis jam citatis. Addit S. Thomas art. 2, superbiam esse causam omnium peccatorum ordine intentionis, avaritiam vero ordine executionis. Subtilius S. Ambrosius lib. IV, *epistola* 32, et S. Augustinus lib. X *De Genesi ad litter.* cap. xv, et tract. 10 *in Joan.*, et ex eo Rabanus hic Paulum cum Siracide conciliant, dicentes superbiam esse avaritiam generalem, qua quis amplius appetit quam oportet, propter excellentiam suam. « Quid avarius illo (Adamo) cui Deus sufficere non potuit? » ait S. Augustinus. Verum græce est, *φιλαργυρία*, quæ significat amorem pecuniæ, non excellentiæ, uti jam dixi.

Audi S. Gregorium lib. XXXIV *Moralium*, cap. xviii: « Omnis peccati initium, superbia. Per hanc enim ipse (Leviathan, id est, diabolus) succubuit; per hanc se sequentem hominem stravit. Eo enim telo salutem nostræ immortalitatis impexit, quo vitam suæ beatitudinis exstinxit. » Et mox: « Sicut enim inferius radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecus expanduntur: ita se superbia intrinsecus celat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodirent, nisi hæc mentem in occulto constringeret. » Et inferius: « Alia quippe vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsæ destruantur, ut, videlicet, ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam expugnet; superbia autem (quam vitiorum radicem diximus) nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, ac quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit, ut, quidquid illa invadente agitur, etiamsi esse virtus ostendatur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ serviatur. Quasi enim tyrannus quidam obsessam civitatem intercipit, cum mentem superbia irrumpit; et quo ditiores quemque ceperit, eo in dominio durior exurgit: quia quo amplius res virtutis sine humilitate agitur, eo latius ista dominatur. »

S. Bernardus, tract. *De Interiōri domo*, cap. xli: « Superbia, inquit, sicut origo est omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum. Ipsa enim in peccato prima, ipsa in conflictu postrema. Ipsa aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut in fine de virtutibus dejicit. » Idem, serm. 2 *De S. Andrea*: « Initium omnis peccati, et causa totius perditionis, superbia. Propterea quisquis es, qui salutem tuam operari studes, adversus hanc super caput tuum signum crucis habere memento, ut non eleveris in superbiam, ut non exaltetur cor tuum. » S. Fulgentius, *epist.* 3 *ad Probam*: « Superbia, ait, initium omnis peccati dicitur, ut omne peccatum de ipsa, tanquam de radice, pullulare monstratur, quæ multiplici modo miseris inferens mortem, publico certamine carnales æjicit; spirituales vero si quos incautos invenerit, occultiore conflictu prosternit. »

Rursus S. Bernardus, serm. 1 *De Adventu*: « Fugite, inquit, superbiam, fratres mei, quæso, multum fugite. Initium omnis peccati, superbia: quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clarius micantem, æterna caligine obtenebravit Luciferum: quæ non modo angelum, sed angelorum primum in diabolum commutavit. Unde et protinus invidens homini, quam conceperat in semetipso, in eo peperit iniquitatem; suadens ut, lignum vetitum gustans, fieret sicut Deus sciens bonum et malum. » Idem in psalm. *Qui habitat*: « Ambitio, ait, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, execratrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem. Quantos hæc pestis nequiter supplantatos turpiter dejecit, ut cæteri quoque quos latuit occultus effossor, subito expavescerent ad ruinam? quantos trudi fecit in tenebras exteriores veste spolians nuptiali, et virtutum exercitio, et fructu pietatis evacuans? » Idem, lib. III *De Consider.*, exclamat: « O ambitio ambientium crux! quomodo omnes torquens, omnibus places? Nihil acerbius cruciat, nihil molestius inquinat, et nihil tamen apud miseros mortales majus est et celebrius. »

S. Chrysostomus, *homil.* 59 *in Matth.*: « Nihil, ait, superbia pejus, quæ mentis quoque vires a natura concessas ita dejicit, ut ex prudentibus stolidos et amentes efficiat. Nam, si quis cum statura cubitum non superet, instar montium, imo altiore se putet, ac ideo se quasi montes excessurus erigat, utique insanus habebitur: sic pariter insanit, qui, cum cæteris natura sit par, iis tamen major esse et haberi contendit. » Unde subdit: « Certe quasi vile mancipium, et miserum captivum diabolus eum abducit, agitatque verberibus et mille contumeliis, quocumque velit. » Quocirca S. Gregorius III *Moral.* xviii: « Vitiorum, ait, regina superbia, cum devinctum plane cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit. » Hinc superbia evidens est signum reproborum, uti humilitas electorum, sicut passim docent Patres. « O quam excelsus es, Domine; sed humiles sunt domus tuæ! » ait S. Augustinus lib. I *Confess.* cap. v.

Porro Pelagiani ex hac Siracidis sententia contendebant omne peccatum esse superbiam: « Tam peccare, inquit, superbire est, quam superbire peccare. Nam omne peccatum, Dei contemptus est: et omnis Dei contemptus, superbia est. Quid enim tam superbum, quam Deum contemnere? Omne ergo peccatum et superbia est, etiam Scriptura dicente: Initium omnis peccati, superbia est. » Verum hos, refellit S. Augustinus lib. *De Natura et Gratia*, cap. xxix. Esto enim in omni peccato sit generalis, id est, implicita et interpretativa quædam superbia, non

n in omni est explicita, formalis et specifica. Unde non dicit Siracides omne peccatum esse superbiam, sed initium sive originem omnis peccati esse superbiam: distinguitur ergo superbia ab omni peccato, sicut causa distinguitur a suo effectu.

QUI TENUERIT ILLAM (ab eaque se agi regique permiserit), ADIMPLEBITUR MALEDICTIS. — Complutenses, *ἐξυβρίσει βδελύγμα*, id est, *injuriabit abominationem*, id est, injurias abominandas effundet. Melius Romani legunt, *ἐξομωθήσει βδελύγμα*, id est, *inundabit abominationem*, id est, multas abominationes instar undarum effundet; Tigurina, *qui præditus est ea, profundet execrabilia, donec tandem subvertatur*; alii, *effundet tanquam imbrem abominationem*; alii, *circumfluet abominatione*. B. Antiochus *homil.* 44 legit, *abundabit in illum abominatio*, id est, *replebitur maledictis*, ut vertit Noster, et *abominationibus*, id est, abominandis peccatis et culpis; consequenter et horrendis ac abominandis pœnis et tormentis, adeo ut eum plane evertant. Unde addit:

ET SUBVERTET EUM IN FINEM, — scilicet, superbia subvertet suum possessorem, puta superbum, « in finem, » id est tandem, ad extremum, vel finali et extrema subversione; idque in hac vita, vel certe in futura, puta in gehenna: nam, ut dicitur *Prov.* xvi: « Abominatio est Domino omnis arrogans. » Rursus superbus repletur maledictis, quia omnes eum vituperant, multique illi maledicunt: omnes enim ejus fastum et mores arrogantes aversantur. Præclare S. Bernardus, serm. 17 *in Cant.*: « Ergo, ait, in cælo concepit dolorem, et in paradiso peperit iniquitatem, prolem malitiæ, matrem mortis et ærurnarum omnium, prima parens superbia. » Cæterum in homine misero damnabilior est superbia, quam in nobili angelo: de quo idem, serm. 54: « Si sic, ait, actum est cum angelo, quid de me fiet terra et cinere? Ille in cælo intumuit, ego in sterquilinio. Væ mihi, si tam dure in potente illo animadversum est pro eo quod elevatum est cor illius, nec ei profuit quod cognata potentibus superbia esse cognoscitur! quid de me exigendum et misero et superbo? » Sed inquit: Ego sum rex, ego princeps, ego episcopus, ego doctor. Ornamenta hæc pulveris sunt. Quisquis hoc dicit, memento quia pulvis es et cinis; memento quia es lutum inauratum auro regni, principatus, episcopatus, doctoratus.

Denique, sicut superbia fuit primum primi hominis et angelii peccatum, ex quo quasi fonte cætera promanarunt: sic ex adverso humilitas prima et propria est virtus Dei hominis, puta, Christi redemptoris, ex qua quasi fonte omnes virtutes et bona promanarunt et promanant. Unde S. Ambrosius in *Psalm.* cxviii, serm. 18: « In paradiso, ait, defecit humilitas, et ideo venit e cælo. Humilitate Deus ipse factus homo, non modo nihil de dignitate sua dimisit, sed eam

adeo conspicuam et præstabilem reddidit erga homines, ut eos Deus humilis et humiliatus suæ legi subjugaverit, et ad sui amorem et obedientiam converterit, quos Deus ipse de cælo fulgurans, et mundum majestatis suæ magnitudine perterrefaciens, a dæmonum culta ad sui obsequium nunquam traduxit. »

16. PROPTEREA (propter superbiam) EXHONORAVIT DOMINUS CONVENTUS MALORUM, ET DESTRUXIT EOS USQUE IN FINEM, — id est, in æternum; vel « in finem, » id est, usque ad finem et radicem, funditus eos excisciendo.

Pro *exhonoravit*, Græce est *παρεδέξατο*, quod et dehonestare, et admirabilem facere significat. Paradoxum enim idem est quod admirabile, præter opinionem communem, novum, insolens, inauditum, incredibile; unde Romana vertunt, *propter hoc incredibiles fecit Dominus obductiones*, id est, calamitates; alii, *ideo Dominus graves illustresque (novas, insolitas, admirabiles, inauditas) importat calamitates, et evertit eas in æternum*. Tigurina sequitur prius significatum, nostroque consentiens vertit, *propterea Dominus agmina malorum affectu ignominia, et tales ad extremum subvertit*; Syrus, *propterea divisit, vel dispersit Deus percussiones (vel perturbationes) eorum, et percussit illos plaga consummata*, id est, perfecta, et undequaque absoluta. Noster legit *συναγωγής*, id est, conventus: jam legunt *ἐπαγωγής*, id est, inductiones calamitatum et cladum, qua voce gaudet Siracides, uti dixi cap. ii, vers. 2.

Perstringit prisca illustres clades superbiorum, eis a Deo ob superbiam inflictas, ut fabrorum Babel, quos Deus divisione linguarum multavit, et per totum orbem dispersit, *Genes.* xi, 8; item gigantum, quos Deus mersit diluvio, *Genes.* vi, vers. 4 et 17; item Sodomæ: nam, ut ait Ezechiel cap. xvi, 49: « Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia. »

17. SEDES DUCUM SUPERBORUM DESTRUXIT DEUS, ET SEDERE FECIT MITES PRO EIS. — Græce *thronos*, sive solia principum detraxit Dominus, eorumque loco mansuetos constituit. Mites opponit superbis, quia sub mitibus comprehendit et humiles: qui enim mitis est, est et humilis; sicut ex adverso, qui superbus est, est et asper. Unde Hebr. *אני*, vel *אנא*, et humilem, et mitem, et pauperem significat: hæc enim tria solent esse connexa. Quocirca Syrus vertit, *sedem superbiorum subvertit Dominus, et sedere fecit humiles loco eorum*. Ita superbos angelos detraxit e thronis cælestibus, in iisque collocavit Apostolos, aliosque homines mites et humiles. Sic superbo Balsasare e monarchia Assyriorum dejecto, surrogavit Darium et Cyrum, qui mites fuerunt erga Israelitas. Sic superbum Pharaonem demersit per mitem Mosem, Holofernem stravit per mitem Judith, Aman per Esther, Sennacherib per Ezechiam, Antiochum per Machabæos; denique Sauli inobedienti præposuit mitem David, juxta illud *Psalm.* cxxxi, 4: